

Terentius TUNBERG, *De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi saeculis XVI et XVII coluerunt*, Leuven: Leuven University Press, 2012 (Supplementa Humanistica Lovaniensia XXXI), 144 pp., ISBN 978-90-5867-916-1, € 44.50.

Res est profecto nunc rarissima: liber doctus non solum Latine compositus, sed elegantissima Latinitate nitens. Minus id mirabitur, qui auctoris vitam atque opera consideraverit. Is est enim Terentius ille TUNBERG, Universitatis Kentuckianae professor, qui cum studentibus Latine tantum loquitur et quotannis ad Conventiculum Latinum Lexingtonianum linguae Romanorum amatores invitat.

Statim in initio censurae meae eum, qui librum est lecturus, debeo monere, quid ab auctore exspectare possit. Timeo enim, ne spe deceptus clamet “Ubinam est caro bovina?”¹ Nempe in titulo libri TUNBERG promittere videtur se aliquid dicturum de singulis vocibus et locutionibus, quae quadringentos et quingentos ante annos in colloquiis Latinis usurpatae sint. Ego quidem liberter certior fiam, quae sit origo phraseon, quas recentioris aevi scriptores iuventuti studiosae in usum cottidianum commendant: quae earum sint ex Plauti Terentiique comoediis haustae, quae ex corruptis codicum lectionibus originem ducant, quae ad instar locutionum in linguis vernaculis occurrentium sint formatae. Etiam capituli titulus *De pronuntiatu* quasi pollicetur nos docere, quomodo pronuntiatum sint in variis terris variae litterae Latinae, ubi – verbi causa – *genus* ut *ienus* sonuerit, *pectus* autem ut *pettus*.

De talibus non tractat liber Tunbergianus, nam auctor de rebus in genere potius quam in specie disserere mavult. Attamen lectoribus taedium non affert, quia multas res scitu dignas narrat inveteratisque opinionibus audacter adversatur (saepe facit id in annotationibus, ergo cave omittas eas in legendo). Quarum opinionum maximi momenti est ea, secundum quam occiderunt linguam Latinam, prius in sermonibus et scriptis vigentem, ii, qui iubebant eam ubique ad normam Ciceronianam aptari. TUNBERG affirmat etiam ante Longolium aliosque Ciceronianos linguam Latinam a paucis tantum viris doctis usurpatam esse putatque reditum ad normas antiquas Latinitatem non debilitasse, immo roborasse post vulnera a scholasticis philosophis inflictam². Arguit etiam auctor noster linguas vernaculas semper faciliores ad discendum fuisse quam Latinam idque etiam ab Erasmo eiusdemque aevi scriptoribus esse observatum³.

Mihi quidem res non tam simplex videtur. Differentiam enim suspicor esse non in linguis ipsis, sed in fine, quo nobis proposito eas discimus. Quisquis utitur libellis, in quibus locutiones ad colloquia Latina idoneae continentur, facile discet rogare panem aut salem, de se aliquid narrare, de caeli temperie disserere. Haud multo plura discunt ii, qui in schola linguis hodiernis operam dant. Certe toto caelo difficilius est tam bene cognoscere linguam Latinam, ut eleganter eruditeque de omnibus rebus loquaris. Sed qui discipulus sperare potest se tam bene, verbi causa, Anglice locuturum, ut niteat eruditione aequae ac baro Petrus Wimsey, persona librorum a Dorothea Sayers scriptorum, cuius colloquia cottidiana plena sint flosculis ex operibus Guilelmi Seisencheos (vulgo Shakespeare), Ioannis Keats, Roberti Browning multorumque aliorum auctorum decerptis? At talis fere esse debeat perfectus Latinitatis cultor.

Si pueri, qui in scholis Latine tantum loqui cogebantur, saepe peccabant lingua vernacula utentes, id non debet nobis esse argumento linguam Latinam difficillimam esse. Quisque est enim propensus ad sua lingua loquendum cum eiusdem nationis hominibus. Nulla est lingua facilior

¹ De origine et usu huius locutionis Americanae vide paginam interretialem http://en.wikipedia.org/wiki/Where%27s_the_beef%3F.

² P. 12, annot. 3.

³ Pp. 13 sq.

quam Esperantica, at in congressibus Esperantistarum saepe Poloni inter se Polonice, Francogalli autem Francogallice sermocinantur (talibus hominibus infame nomen “crocodilorum” inditur).

Usus linguae vernaculae magnopere displicebat scholarum Latinarum praeceptoribus, qui, ut eum eradicarent, decurrerant ad turpia remedia, nempe inter discipulos captabant delatores, qui sibi indicarent pueros aliam ac Latinam linguam usurpantes. De talibus delatoribus scribit TUNBERG Hermanni Schottennii testimonio fultus⁴. At in posterioribus saeculis inventa est ratio, qua adhibita omnes fere discipuli eo ingrato officio fungerentur. Nam ut narrat Andreas Kitowicz in sua *Descriptione morum Augusto III regnante vigentium*, saeculo duodevicesimo in scholis Polonicis discipulus vernacula lingua loquens accipere cogebatur tabellam litteris NL (“Nota linguae”) inscriptam. Quisquis eam tabellam mane aut post prandium apud se habebat, verberabatur. Non est cur miremur eius possessorem per fas et nefas conatum esse alteri discipulo eam tradere. Exempli causa, rogabat eum: “Quomodo hoc explicatur Polonice?”, et vocabulo vernaculo sic elicit tabella sese liberabat⁵.

Liber Tunbergianus docet nos colloquia Latina multo minoris aestimasse eos, quorum lingua vernacula proxima Latinae erat, nempe Italos et Hispanos⁶. Multis enim horum placebat dictum: “Latine loqui corrumpit ipsam Latinitatem”. Librum tali titulo inditum edidit Franciscus Sanctius Brocensis, qui in academia Salmaticensi artis grammaticae professor fuit⁷, sed TUNBERG notat eum hanc sententiam a Petro Bembo eiusque asseclis mutuatum esse⁸.

Scitu dignissima sunt ea, quae scribit auctor de modo verba Latina pronuntiandi ab Anglis adhibito. Saeculo enim sexto decimo ineunte omnes laudabant Anglos, quia clare et distincte Latine loquerentur, at post aliquot decennia nemo eos intellegere poterat⁹. TUNBERG videt duas causas, quibus hoc possit explicari: mutationem vocalium (vulgo *the Great Vowel Shift*), quae tum linguam Anglicam atque Anglorum Latinitatem affecit, et seclusionem Angliae a reliqua Europa, postquam Henricus VIII propriam Ecclesiam, Romae non oboedientem, fundaverat¹⁰.

Multos Polonos aegre laturus puto citata in hoc libro verba Ioannis Matthiae Gesneri, qui saeculo duodevicesimo loquitur de “Latino culinario, hussarico aut Polonico”¹¹. Ipsi tamen libenter repetimus vetus dictum: “Nos Póloni non cúramus quantitatem syllábarum”¹². Addam mihi hoc dictum non placere, nam proni sumus potius ad paenultimam syllabam temere clariore voce profarendam, ergo dicendum esset: “Nos Sarmátae syllábas tónicas neglegimus”.

⁴ Pp. 24 sq.; Hermannus Schottennius HESSUS, *Confabulationes tironum litterariorum*, ed. P. MACARDLE, Mancestriae 2007 [ed. pr.: Coloniae Agrippinae 1525], p. 84.

⁵ Jędrzej KITOWICZ, *Opis obyczajów za panowania Augusta III*, pp. 62 sq. (quem librum invenies apud: Wirtualna Biblioteka Literatury Polskiej Instytutu Filologii Polskiej Uniwersytetu Gdańskiego [http://www.biblioteka.vilo.bialystok.pl/lektury/Barok/Jędrzej_Kitowicz_Opis_obyczajow.pdf]).

⁶ Pp. 23 et 34–36.

⁷ Cf. J.M. MAESTRE MAESTRE, *El Brocense contra el Inglés Henry Jason: una nueva interpretación de la paradoja Latine loqui corrumpit ipsam Latinitatem y de sus posteriores cambios textuales*, in: *La filología latina. Mil años mas*, ed. P.P. CONDE PARRADO, I. VELÁZQUEZ, vol. II, Burgos–Madrid 2009, pp. 1225–1288.

⁸ P. 34, annot. 50.

⁹ Pp. 71–74.

¹⁰ P. 74, annot. 21.

¹¹ P. 84; Ioannes Matthias GESNERUS, *Primae lineae isagoges in eruditionem universalem*, vol. I, Lipsiae 1784, p. 113.

¹² Huius sententiae primus mentionem facere videtur (sine perversis accentibus) circa annum 1705 Ioannes WARDYŃSKI in codice Bibliothecae Cornicensis 00407, p. 213. Vide paginam interretialem <http://www.wbc.poznan.pl/dlibra/docmetadata?id=224022&dirds=1&tab=1#>.

Colloquiorum Latinorum libri sexto decimo saeculo compositi tam utiles discipulis fuerunt, ut etiam hodie quaedam manualia Latine sermocinandi illis nitantur: talem librum anno 1970 editum TUNBERG invenit¹³. Quamquam enim Latinitatem duorum saeculorum, sexti decimi et septimi decimi, diligenter investigat, etiam in priora posterioraque tempora libenter excurrit. Facit etiam mentionem dialogorum, qui saeculo tertio post Christum natum compositi sunt ad usum Graecorum linguam Latinam discentium¹⁴.

Viri docti, qui varias linguas scrutantur, saepe plures faciunt sermones, quos ope magnetophoni asservant, quam opera litteraria, eorum enim linguam ut facticiam despiciunt. At in linguis antiquis ex contrario scriptorum opera documenta linguae genuina videntur, colloquia autem, quamvis saepe veterum scriptis fulta, sunt tantummodo philologorum aut magistrorum figmenta. Nemo mirabitur sic hodie rem se habere. Sed TUNBERG monstrat iam Quintilianum iuvenibus fere cottidie declamationes scribentibus commendasse, ut in exordiis simplicitatem ordinarii sermonis imitarentur¹⁵. Iam tunc igitur vir litteratus arte indigebat, ut arte carere videretur.

Ut dixi in initio, Latinitas Tunbergiana summas laudes meretur. Lectori voluptatem afferunt verba ad antiquorum scriptorum libros alludentia, utpote legentibus de lingua Latina “sensim sine sensu” discenda¹⁶ in mentem venit id, quod apud Tullium dicit Cato maior de litterarum studiis a senioribus colendis: “ita sensim sine sensu aetas senescit”¹⁷.

In libro paucissimae mendae inveniuntur. Paginis 99 et 101 correctione indigent quidam antiquorum auctorum loci, ad quos lector refertur:

est	esse debet
Cic., <i>Ad Att.</i> , XIII, 33a, 4	Cic., <i>Ad Att.</i> , XIII, 33a, 1
Quint., <i>Inst.</i> , VI, 111	Quint., <i>Inst.</i> , VI, 3, 111
Plin., <i>Epist.</i> , II, 3, 2	Plin., <i>Epist.</i> , II, 3, 1–2.

In annotationibus displicet mihi mentio “operis Iacobi Pontani, cui titulus *Progymnasmatum Latinitatis*”: deberet potius scribi “*Progymnasmata Latinitatis*” aut “*Progymnasmatum Latinitatis volumen I*”.

Sed omittamus quisquillas. Liber Tunbergianus numerari debet inter splendida opera circuli philologorum e variis nationibus ortorum, qui secum invicem multa communia habent: morem Latine loquendi et scribendi, studium litterarum Latinarum omnium temporum, praecipue autem sexti decimi et septimi decimi saeculi, et mutuas amicitias. Cuius circuli fundator fuit vir doctissimus, pia memoriae Iosephus IJSEWIJN, eius participes sunt autem, praeter ipsum Terentium TUNBERG, Theodoricus SACRÉ, Milena MINKOVA et Antonius HAAKER, ut alios omittam. Ea omnia nomina saepe apparent in hoc volumine atque in conspectu librorum et commentationum.

Nicolaus Szymański
Universitatis Varsoviensis

¹³ P. 95; Iosephus Maria MIR, *Nova verba Latina*, Barcinonae 1970.

¹⁴ P. 41, annot. 6.

¹⁵ P. 99; Quint. *Inst.* IV 1, 54.

¹⁶ P. 15.

¹⁷ Cic. *Cato* 38.